



## **Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales**

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

**Chiericato, Giovanni Maria**

**Augustæ Vindelicorum, 1730**

Decisio XXXIV. Argumentum. Mutuans, qui ex Mora mutuatarii in restituenda pecunia muturata, non potuit ludere aleis, nihil valet exigere ratione lucri cessantis. Plura de ludo Alearum, & ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)



ut de hoc fiat pactum ab initio cum ipso Mutuatario, cujus consensus est necessarius; nam, alioquin posset ipse nolle mutuum recipere cum hoc onere. Reginaldus lib. 23. num. 75 Tamburin. in Decalog. d. lib. 8. tract. 3. cap. 8. §. 3. Idem Tamburin. d. Triplici Jure d. lib. 9. cap. 3. §. 3. num. 4. Bonacina de disp. 3. quast. 3. punct. 4. num. 3. Rebell. d. l. 8. q. 8. Salas de Usur. dub. 18. Card. Tolet. d. l. 5. c. 32. Cardinal. de Lugo d. disp. 25. num. 72. Rosignol. d. tract. de Mutuo, Usur. Prænot. 13. num. 3. & Mastrius d. disp. 5. num. 58. & 59. ubi notant, adeo necessarium esse actum ab initio mutui de damno emergente solvendo; ut eo non interveniente (nisi mutuum vi, aut dolo exactum fuisset) mutuarius non teneatur ex iustitia ad illud refarciendum, licet ipsum mutuum fuerit occasio illius damni; quandoquidem obligari non potest, non vi contractus, qui non obligat nisi ad restituendum tantumdem, quod acceptum est; non ex pacto, quod fuit omisum; non ratione rei acceptæ, qua mutuarius usus est, tanquam Dominus; non ratione iniustæ acceptationis, seu damnificationis, quia ipse nec positivè, nec physicè, nec moraliter insuit in hoc damnum; & licet occasionaliter ex beneficio sibi factò, cum non sit ex sua culpa, nullum onus iustitiæ pullulat ad refarciendum, & ideo mutuans debet sibi imputare, quod de illo damno non caverit, ipsumque in pactum non deduxerit; & est sententia S. Thomæ quast. 13. de malo artic. 4. ad quartum decimum. Navar. in Commentar. de Usur. 14. quast. 4. num. 46. & in Man. cap. 17. num. 211. & Soti lib. 6. de iustit. quast. 1. art. 3. concl. 3. Excipiendus tamen est Casus, in quo mutuarius fuerit in mora, de quo infra. Mastrius d. num. 58.

His tribus servatis conditionibus non est Usura recipere lucrum in mutuo ob damnum emergens; quia est pretio æstimabile, & æquum non est, ut ratione beneficii gratis in favorem alterius collati, quis teneatur subire in sui detrimentum onera pretio æstimabilia. S. Thom. 2. 2. quast. 78. art. 2. ad 1. Card. de Lugo d. disput. 25. num. 72. ubi Scotum confutat, contrarium tenentem, & plurimos Doctores concordantes allegat, quos etiam cumulat Dicastill. lib. 2. tract. 10. disp. 2. dub. 4. num. 159. & passim omnes.

## DECISIO XXXIV.

## ARGUMENTUM.

Mutuans, qui ex mora mutuarii in restituenda pecunia mutuata, non potuit ludere aleis, nihil valet exigere ratione lucris cessantis. Plura de ludo Alearum, & de conditionibus veri lucris cessantis.

## SUMMARIUM.

1. Damnum qui dat, illud refarcire debet.
2. Alearum, & taxillorum ludus prohibitus.
3. Lucrum ex ludo alearum in conscientia peti potest.
4. Leges prohibentes ludum alearum non sunt in usu.
5. Mutuans sperans lucrari ex pecunia mutuata potest à mutuatorio aliquid lucris exigere.
6. Fraudes licite an dentur in ludo?
7. Interesse est solvendum creditori à debitore moroso.
8. Dies interpellat pro homine.

9. Lex negat actionem lusori alearum vincenti.
10. Lusor alearum in conscientia non tenetur solvere quod perdidit ludendo.
11. Lucrum cessans debet esse certum, ut quid exigatur supra sortem in mutuo.
12. Possibili posito, non sequitur necessarium.
13. Lusores alearum paupertatem incurrunt.
14. Mutuatarius qui non promisit lucrum cessans, non tenetur ad illud.
15. Mutuans qui non erat licitam negotiationem facturus, non potest ex mutuo lucrum cessans prætere.
16. Clerici negotiari non possunt.
17. Alearum lusores sunt de Jure punibiles.
18. Causa ubi est incerta lucrum certum non deducitur.
19. Lusores alearum peccant mortaliter.
20. Lusor alearum perdens non tenetur in conscientia solvere.
21. Ludis fortuna non inest probabilitas lucrandi.
22. Mora debitoris in solvendo non dat titulum pro lucro cessante.
23. Culpa venialis in debitore moroso non sufficit pro plus exigendo.
24. Terminus solutionis intelligitur moraliter, id est saltem post spatium unius mensis.
25. Philippi Mancini lusoris alearum pia conversio.

Porro occasione lucris cessantis resolvendus venit sequens Casus satis curiosus, & difficilis.

**T**itius recepit mutuo centum aureos à Cajo cum pacto restituendi illos in carnis privio. Distulit Titius restitutionem usque ad Pascha. Cujus, quia aleis, & taxillis ludere non potuit, ut solebat, perit aureos decem supra centum, ratione damni emergentis, seu lucris cessantis; quia totidem saltem, ut asserit, in ludo lucratus fuisset. Quaritur, An jure petat?

Nonnullis visum est probabile, quod Cajus jure petat ob sequentes rationes.

*Prima.* Qui iniuste dat causam damni, tenetur illud refarcire, cap. Dilecti 17. De Foro compet. cap. Pervenit. 2. & cap. Constitutus. 3. de Fidejussor. Navar. in Comment. de Usur. num. 42. Reginald. lib. 23. num. 70 Sed Titius mutuarius, non restituendo centum aureos habitos à Cajo, est causa efficax ejus damni. Ergo ad refarciendum tenetur.

*Secunda.* Si Cajus censendus esset non jure petere, ex eo proveniret, quod voluisset vel injusto titulo lucrari; videlicet ad aleas, & taxillos, qui prohibiti sunt, ludendo, cap. Episcopus. 35. dist. 1. Alearum. C. De Relig. & sumpt. fun. & aleat. vel actionem peccaminosam exercendo. Seu qui lucratur ludendo præsentem pecuniam ab eo, qui alienari valet, eam non tenetur restituere, & fit ejus verus dominus. Rebell. lib. 12. quast. 8. num. 3. Molin. disp. 513. & Card. de Lugo disp. 31. num. 60. Imò perdens tenetur in conscientia solvere. Rebell. ibid. num. 7. Neque actionem peccaminosam exercet, quia ludere etiam principaliter propter lucrum non est peccatum mortale, exclusis fraudibus. Molin. disp. 511. Sanchez lib. 1. Consil. cap. 8. dub. 24. num. 11. & Card. de Lugo disput. 31. num. 3. & 4. ubi notat, neque veniale esse, quando lucrum appetatur ad rectum finem sustentationis familiæ, vel status, quia leges prohibitorie tam Civiles, quam Canonice non sunt in usu, saltem quo ad laicos.



cos, idem Card. de Lugo *ibid.* num. 9. Sanch. *dict.* cap. 8. dub. 27. num. 7. Salas De Ludo dub. 2. & dub. 3. Ergo Cajus Jure petit.

¶ Tertia. Tunc lucrum cessans Jure peti potest à mutuario, quando spes probabilis ipsi mutuant affulget, lucri acquirendi ex pecunia, quam mutuo dat, & ex industria sua. Tamburin. in Decalog. lib. 8. tract. 3. cap. 8. §. 3. num. 11. adeo, ut facta æstimatione illius spei, attempto periculo, & aliis circumstantiis, illa æstimatione sit solvenda, si vel lucrum futurum sit maius, vel minus. Molina *disp.* 316. num. 9. Card. de Lugo *d. disp.* 25. num. 96. five etiam nullum inde lucrum proveniat. Reginald. *d. lib.* 23. num. 88. & ibi Sotus *lib.* 6. de *Just. quest.* 1. art. 3. sed in ludo dari potest in lusore probabilitas lucrandi, ob ejus majorem peritiam, dexteritatem, & industriam; & quidem justè, & licitè. Cardin. Tolet. *lib.* 5. cap. 27. num. 6. Decius *conf.* 115. Covaruvias *Reg. Peccatum.* §. 4. num. 6. & Cardin. de Lugo *disp.* 31. num. 33. 34. & num. 44. & 48. ubi concedit fraudes licitas in ludo, ad lucrandum; & quod possit, qui potiores chartas habet, & securus est de victoria, metum simulare, ut adversarius sponsonem augeat, vel ipsemet potest augere, quod etiam permittit Tamburin. in Decalog. lib. 8. tract. 2. cap. 9. §. 1. numer. 7. Ergo attenta probabilitate lucri, imò securitate, quam Cajus habere potest in ludendo, jure à Titio decem aureos ratione lucri cessantis exigere potest; quamvis ludendo vel minus, vel nihil lucratus fuisset.

7 Quarta. Nam eo ipso, quod terminus solutioni mutui præfigitur, tacitè ac virtualiter censetur intervenire pactum, quod mutuarius teneatur ad interesse, quo mutuans, defectu solutionis, in eo termino privatur. Molina de *Just. & Jur. disp.* 299. num. 6. & *disp.* 315. num. 3. Reginald. *lib.* 23. num. 76. Vers. Tertius casus est. Et ratio est, quia mutuarius, qui est in mora, est etiam in culpa; & qui in culpa est circa restitutionem, tenetur ad refarciendum damnum, quod obvenit creditori. Petr. à Navar. de *Restit. lib.* 3. cap. 2. num. 282. Tamburin. in Decal. lib. 8. tract. 3. cap. 2. §. 6. num. 6. adeo ut, neque opus sit alia monitione. Petr. à Navar. *d. cap.* 2. num. 281. Diana *part.* 1. tr. 8. de *contr. resol.* 87. Quæ in Coordin. est tom. 6. Tract. 3. ref. 21. nam dies interpellat pro homine l. Cum quidam. ff. de *Usur. l. Usuras. C. eod. & l. Magna C. de contrab. stipulat.* Leotard. de *Usur. quest.* 81. num. 26. ubi plures text. adducit. Sed in casu nostro Titius recepit centum à Cajo cum pacto restituendi illos in carnis privio. Igitur cum non restituerit, sed distulerit restitutionem usque ad Pascha, factus est morosus; & ratione moræ tenetur aureos decem ultra sortem Cajo solvere, ad refarciendum lucrum cessans.

His tamen minimè obstantibus, contraria opinio, Cajum scilicet non Jure petere; ob fortiores rationes, & ampliora vota, prævaluit. Quandoquidem.

Primo. Cajus efficacius agere non potest ad lucrum cessans consequendum, ex eo quod ludere non potuit, contra Titium Mutuatarium, quam contra lusorem ipsum; si realiter lusisset, & lucratus fuisset. Sed esto, quod Cajus centum aureos habuisset in carnis privio, & in lu-

do aliquam summam fuisset lucratus, eam colusor perdidit, si solvere detractaret, à Cajo cogi non posset, ut solveret; quia lex negat actionem lusori vincenti ad obtinendum lucrum factum in ludo; imò qui perdidit, & solvit, habet actionem, ut sibi lucrum traditum restituatur. Covaruvias in *Reg. Peccatum.* §. 4. num. 8. & facit text. in l. Invitus. §. cui damus. De *Reg. Jur. l. Creditori C. de Pactis. l. 1. §. his aurem. ff. De superficiebus. Cap. Qui ad agendum. De Reg. Jur. in 6. adeo ut neque in foro conscientie victus obligatus sit rem perditam lusori vincenti tradere, ut tenet Covaruv. & apud eum Adrian. ubi proximè, & Molina *disp.* 315. num. 5. & ibi Sot. & Navar. Rebell. *lib.* 12. *quest.* 1. num. 7. Tamburin. in Decalog. *d. lib.* 8. tract. 2. cap. 9. §. 1. num. 8. 9. 10. & 11. Layman. *lib.* 3. sect. 5. tract. 4. cap. 21. num. 3. Salas de Ludo dub. 26. & Card. de Lugo *disp.* 31. num. 70. Ergo multò minus Cajus jure agere, vel petere potest à Titio ultra sortem decem aureos.*

Secundo. Ad exigendum aliquid ultra sortem in mutuo ratione lucri cessantis requiritur, quod ipsum lucrum sit in actu, & morali certitudine; id est quod de eo habeatur probabilitas, & non sufficit sola possibilitas. Sylvester *Verb. Usura 2. quest.* 19. Angelus *Verb. Usura 1. num.* 15. Summa Diana. *Verb. Mutuum, num.* 8. Reginaldus *lib.* 23. num. 84. Vers. ex hoc documento, & Zerola in *Praxi episc. part. 1. Verb. Usura. Vers. Quantum hinc fuit, ubi ait, non valere possibilitatem lucrandi, quia multa possunt accidere, quæ lucrum impediunt; & 12 regula Philosophiæ est, Possibili posito, non sequitur necessarium. Idem docet Card. Tolet. *d. lib.* 5. cap. 33. Vers. Tertia est. Trullench. in Decalog. *lib.* 7. dub. 9. num. 3. Rebell. *lib.* 8. *quest.* 6. num. 2. Molina *disp.* 315. in fin. & *disp.* 316. Scaccia de *Commerc. §. 1. quest.* 7. part. 2. Ampliat. 8. num. 221. ubi plurimos cumulat. Sed lucrum, quod Cajus sibi promittebat ex ludo, etsi possibile esse posset; tamen non est probabile, & mortaliter certum; quia nulla major incertitudo, quam in ludo alearum, & taxillorum; in quo frequentissimè homines de divitibus fiunt pauperes, suumque patrimonium, uxorum, ac filiorum bona dissipant, & insumunt, cum irreparabili detrimento totius familiaris, ac 13 negotiorum; ut doctè notat Scaccia de *Commerc. §. 1. quest.* 1. num. 85. & Molina *disp.* 311. in princ. Ergo Cajus à Titio non jure petit.*

Tertio. Inter conditiones, quas Theologi, & 14 Canonistæ requirunt, ut licitum sit aliquid exigere ultra sortem à Mutuario pro lucro cessante, illa præcipua est, ut ab initio Mutuatarius fuerit de hoc monitus, & tale onus deductum fuerit in pactum. Layman. *lib.* 3. sect. 5. Tractat. 4. cap. 16. num. 10. Rebell. *d. lib.* 8. *quest.* 5. num. 2. & *quest.* 7. numer. 4. Tamburin. in Decalog. *lib.* 8. tract. 3. cap. 8. §. 3. num. 3. & 12. & de *Tripl. Jur. lib.* 9. tract. 1. cap. 3. §. 3. num. 4. & §. 4. num. 5. Reginald. *d. lib.* 23. num. 79. 80. 81. Bonacina *dict. tom.* 2. De *contractib. disp.* 3. *quest.* 3. punct. 4. num. 2. & 3. Trullench. in Decalog. *d. lib.* 7. cap. 19. dub. 9. num. 7. Card. de Lugo *disp.* 25. num. 87. ubi omnes eam reddunt rationem, quia justum non est, ut mutuarius invitatus cogatur ad solvendum interesse mutuatori; ideoque debet



bet de hoc ab eo certiorari, ut vel suum consensum praebeat, vel si nolit, ab acceptione mutui abstineat. Sed sic est, quod Cajus neque monuit Titium, neque pactum fecit de solvendis decem aureis pro asserto lucro cessante, ubi ludere non potuerit aleis, & taxillis. Ergo Cajus jure eos decem aureos à Titio petere non potest.

- 15 *Quarto*. Ad obligandum mutuatarium ut Mutuatori lucrum cessans refundat, opus est, ut ipse mutuator licitam negotiationem esset facturus; remque utilem, ac honestam aggressurus; alioquin si rem prohibitam, vel inutilem, vel otiosam ad lucrum acquirendum exercere intendisset; nullatenus posset lucrum cessans exigere à Mutuatario, Reginald. d. lib. 23. num. 84. *Verf. Ex hoc documento*, ubi ex Lelio Zech. de Usur. cap. 16. num. 5. docet; Clericum non posse praeendere lucrum cessans, eò quia Clericis interdicta est negotiatio. Cap. Negotiatorem. Cap. Fornicari. Cap. Consequens. Cap. Ejiciens. 88. dist. Cap. Ult. de Vita, & honest. cleric. & Clem. 1. eod. Sed ipse Cajus intendebat negotiari, & lucrari ludo alearum, & taxillorum, qui non minus est ei prohibitus à Jure, ac negotiatio Ecclesiasticis. Cap. Episcopus. 35. dist. lib. Alearum. C. de Religios. & sumpt. funer. lib. 1. & seqq. ff. de Alea lusu, & Aleator. Menoch. de Arbitr. Casu 399. num. 5. Scaccia de Commerc. d. §. 1. quast. 1. num. 85. ubi probat, alearum ludum esse adeò reprobatum, ut pro crimine reputetur; & tanquam criminosis hujusmodi lutores sint puniendi. Clarus lib. 5. §. Ludus in princip. Menoch. de Arbitr. Judic. Casu 399. & Laurent. Prior. in Praxi Crimin. Veneta, ubi leges Serenissimae Reipublicae cap. de Ludo pag. 191. Igitur injusta est Caji petitio; prout in puncto scribit Tamburin. de Triplici Jure lib. 9. tract. 1. cap. 3. §. 3. num. 6. Bonacina tom. 2. de contract. dist. disput. 3. quast. 3. punct. 4. num. 10. Nicolius in Lucubr. Civilib. lib. 3. tit. 15. sub num. 12. *Verf. Vel si creditor*.

Cui opinioni, per Curiam Episcopalem approbata, non obstant rationes contrariae.

- 18 *Non Prima*. Quia verum non est, Titium esse causam efficacem damni, quod ex non ludo asserit Cajus sibi obvenire; quia cum assertum lucrum praeatendatur à Cajo tum ex actione illicita, tum ex causa incerta, & non probabili, quamvis possibili; non est refundenda causa amissionis lucri in Mutuatarium, sed in ipsum mutuante, ut scribit Tamburin. d. §. 3. num. 6.
- 19 *Non Secunda*: Quia, quidquid sit de culpa in lusoribus, quos mortaliter peccare certum est, ubi magnam quantitatem ludant cum detrimento notabili filiorum, & uxoris, subtrahendo eis alimenta debita, vel se impotentes reddendo ad solvenda debita. Diana part. 2. tract. 15. resolut. 65. quæ in Coordin. est. tom. 6. tract. 4. resolut. 1. & part. 7. tract. 9. resolut. 2. Quæ residet in Coordin. tom. 6. tract. 4. resolut. 7. Sanch. in Opuscul. Moral. part. 1. cap. 8. Dub. 24. num. 8. ubi DD. & quidquid sit de obligatione in conscientia solvendi amissa in ludo; cum praevaleat opinio Doctorum, qui affirmant, perdentem non obligari in conscientia ad solvendum, eò quia si habet actionem ad repetendum, eò magis frui potest exceptione ad non solvendum. Co-varius, in Reg. Peccatum. §. 4. à num. 8. Molina disp. 515. num. 5. Cardinal. de Lugo disput. 31. sect. 5. Summa Diana Verb. Ludus, num. 32. & Sa-

Doct. Clericali Tom. II. Lib. IX.

la de Ludo dub. 26. Ludus alearum, & taxillorum non est titulus legitimus ad exigendum in Mutuo aliquid ultra fortem pro lucro cessante, tum ex defectu certitudinis lucri, tum ex prohibitione ludi, ut dictum est supra.

*Non Tertia*: Nam in ludis fortunæ nulla est probabilitas lucrandi; & experientia teste, multi qui pluries lucra fecerunt, adversam postea patiuntur fortunam in eodem ludo, & omnes facultates suas perdendo consumunt. Et licet lusor aliquando chartas securissimas habeat, nihilominus est quid accidentale, ex quo illa moralis certitudo lucrandi deduci non potest, quæ necessaria est ad exigendum lucrum cessans à Mutuatario.

*Non Quarta*: Quia negatur, ex constitutione termini ad restituendum mutuum, insurgere pactum solvendi damnum emergens, vel lucrum cessans; quandoquidem, ut supra probatum est, praeedere debet explicitum pactum cum Mutuatario, & obtinendus est ejus consensus; quo stante, intrat axioma illud, dies interpellat pro homine. Tamburin. dist. lib. 8. in Decal. Tract. 3. cap. 2. §. 6. num. 7. & Cardinal. de Lugo dist. disput. 21. num. 23. Igitur cessante pacto, prout in casu nostro, cessat mora; ad quam constituendam requiritur admonitio, & interpellatio. Leotard. de Usur. quast. 81. num. 43. & 44. Angel. Verb. Usura 1. num. 20. Cardinal. de Lugo disput. 18. num. 32. Tamburin. dist. §. 6. num. 10. in fin. & d. lib. 8. tract. 3. cap. 8. §. 3. n. 9. ubi ulterius advertunt, solam culpam venialem in debitore tardante restitutionem mutui non inducere onus solvendi interesse ordinarium, vel extraordinarium; ac terminum restitutionis mutui ab initio praefixum non esse sumendum metaphysicè, sed moraliter, & communi more humano, qui saltem unius mensis spatium concedit. Rota part. 5. recent. decis. 218. num. 8. unde fit, ut Titius, qui debebat restituere Cajo centum aureos in carnis privio, & distulit, restitutionem usque ad Pascha, & sic dies 40. dici non possit morosus, saltem culpabilis, & per consequens, nullo Jure Cajus petit ab eo decem alios aureos ob lucrum cessans ex non ludo. Tamburin. dist. §. 6. num. 7. & 9. & Card. de Lugo d. disp. 18. num. 38.

Hic autem notare libet emendationem ab alearum vicio, quam magnus, & insignis earum lusor Philippus Mancinus Senensis fecit, descriptam per P. Paulum Aringhi in Select. Penit. mortib. lib. 3. cap. 2. num. 19. Prædictus Philippus Mancinus ita deditus erat alearum ludo, ut non solum temporales divitias, sed etiam æternam salutem animæ aleis jaciebat. Pro ejus emendatione Soror devota Virgo Deum precabatur, & exaudita fuit. Siquidem cum Mancinus ejus frater Romam accessisset, curiositatis ergo cum aliis nobilibus sociis catacumbas Sancti Sebastiani ad eas invisendas ingressus fuit. At cum ipse, ac socii ambulassent per longissimos tractus variis mæandris, ac flexibus illius subterraneæ semitæ divisæ, dum nituntur ad primos aditus remeare, in alios, aliosque viarum errores incautè divertebant, & consumpto facium alimento noctis, ac mortis tenebræ ingruunt. In lachrymis omnes diffunduntur, votum Deiparæ faciunt penitentis vitæ, si ab eo sepulchro vivi deducantur. Exaudivit eos pia Mater, & Virgo. Rimulam lucis è terra vident.

H



dent. Ad eam clamant. Rustici propè ipsam laborantes terram, eam fodiunt, & è cavernis illis Philippum cum sociis educunt; qui Senas reversus habitum pœnitentiæ in pia Congregatione sumpsit; & in jejuniis, ac mortificationibus usque ad finem vitæ perseverans; culpas in alcarum ludis antea contractas delevit, & meruit morte sancta vitam finire.

## D E C I S I O XXXV.

## A R G U M E N T U M.

Usura Simoniacæ, & Simonia Usuraria est mutare pecuniam Patrono beneficii, ut cedat mutuanti liberam nominationem ad illud.

## S U M M A R I U M.

1. Simonia, ac Usura sine pretio non committitur.
2. Simonia est, si pro commodum temporali detur res spiritualis.
3. Usura semper inest in lucro temporali ob mutuum.
4. Privatio libertatis in re propria est pretio æstimabilis.
5. Mutuare pecuniam cum intentione recipiendi beneficium est Usura Simoniacæ: & utraque in confessione exprimenda.

**A**ntonius promptè mutuatur mille aureos Patrono beneficii, quia donec illos restituat, si beneficium vacaverit, liberam finit ei nominationem ad illud. Quæritur, an labes aliqua in hoc casu habeatur?

In resolutione hujus casus duæ differentes opiniones repertæ fuerunt; nam alii arbitrati sunt, nullam inesse labem neque Usuræ, neque Simoniz. Alii asseruerunt intrare labem Simoniz, & Usuræ.

Primæ opinionis sectatores, nullam labem in hoc casu recognoscences, ita argumentati sunt. 1. Sicut ad constituendam Simoniam debet aliquod lucrum dari Patrono pro nominatione ad beneficium, ita ad committendam Usuram oportet, ut mutuator aliquod pretio æstimabile consequatur. Reginaldus *dict. lib. 25. num. 189.* & ibi Covarr. & Sot. novissimè Giballin. de Simon. *quæst. 1. §. 1.* Sed in nostro Casu Patronus nullum lucrum accipit, quia totum mutuum restituere debet; nihilque lucratur Antonius, quia gratis & ipse nominare debet ad beneficium. Ergo nulla labes nec Simoniz, nec Usuræ in nostro Casu. ita sentire vult Petr. Navar. de *restitut. lib. 3. cap. 2. num. 270.* Berous in *cap. Ex litteris num. 38. & 39.* De Jure patronatus. Barbosa de Jure Ecclesiast. Univ. *lib. 3. cap. 12. num. 237.* & Diana *part. 1. tract. 8. resol. 61.* Quæ in Coordinato est *tom. 5. tract. 7. resol. 29.*

Contrariæ opinionis defensores probarunt & Simoniam, & Usuram inesse in hoc Casu. Simoniam: 2. Quia semper ea inest, ubi pro temporali commodum datur res spiritualis, ex pacto oneroso, atque obligatione justitiæ. At tale commodum recipit ex mutuo Patronus, qui cedit Jus nominandi ad beneficium Antonio mutuatori. Ergo Simoniam committit. Ita Molina *disp. 310. §. Quo ad ultimum.* Flamin. Parisius de *resign. lib. 14. quæst. 7. num. 5.* & de *Confident. quæst. 36. à num. 27. & seqq.* & Giballinus, qui plurimos DD. ita tenentes allegat, De Simonia *quæst. 16. Consect. 6. per totum.* Usuram autem in hoc Casu committi ostenderunt ex eo, quod Usura est, quan-

do mutuator ex mutuo aliquod temporale consequetur ultra fortem. Sed nominatio ad beneficium includit commodum aliquod temporale: licet enim gratis debeat fieri nominatio, tamen Antonius mutuator potest nominare filium suum, vel fratrem, aut nepotem, & sic domui suæ lucrum asserere. Ergo intrat Usura; prout intrare scripserunt præter DD. à Giballino ubi proximè citatos, Reginald. *d. lib. 25. num. 190.* Trullench. in *Decalog. lib. 7. cap. 19. dub. 7. num. 3.* Rebell. *d. lib. 8. qu. 4. num. 13.* Cardin. del.ugo *d. disp. 25. num. 45.* & Lessius *d. lib. 2. cap. 20. num. 64.*

Hanc opinionem amplexa est Curia Episcopalis, quia si verum amamus, Casus propositus verè continet Usuram Simoniacam, & Simoniam Usurariam; datur enim temporale pro spirituali; mutuator commodum sentit, & mutuarius gravamen ex mutuo reportat, quia privatur libertate nominandi ad beneficium, quem maluerit, & forsitan aliquem ex suis conjunctis, quo excluso, damnum temporale reportabit; & hæc privatio libertatis est pretio æstimabilis; ut bene probat Cardinal. de Lugo *d. disp. 25. à num. 45. & seqq.* Parisius de *Confid. dict. quæst. 36. num. 63.* ubi notat sufficere pactum tacitum, & solam intentionem consequendi beneficium ex mutuo ad causandam Usuram Simoniacam, subdens, utramque circumstantiam esse exprimendam in confessione, quod tradit etiam Navar. *conf. 21. num. 4. de Simon. & Lessius d. lib. 2. cap. 20. num. 64. & 65.*

Neque subsistit argumentum primæ opinionis; siquidem falsa est minor propositio, quod neque mutuans, neque mutuarius commodum, seu lucrum consequatur; nam mutuarius commodum percipit ex receptione mille aureorum, quorum negotiatione lucrum est percepturus; ac etiam mutuans suam utilitatem habet, utendo fructibus juris patronatus, inter quos computatur nominatio, seu præsentatio ad beneficium; Glossa in *cap. Cum olim. Verb. Capitulo. de Major. & Obed. & Glossa ult. in cap. Cum Berthold. De sent. & re judic.* Quapropter in praxi impugnandæ semper sunt hujuscemodi conventiones, ut novissimè, ac doctissimè probat P. Salsas de *Usuris dub. 14. per totum.*

## D E C I S I O XXXVI.

## A R G U M E N T U M.

Quia plures rusticorum audiunt Missam in januis Ecclesiæ, notantur decem jucunda argumenta, quibus Parochi eos suadebunt Ecclesiam intrare.

## S U M M A R I U M.

1. Missa non est audienda in januis Ecclesiæ.
2. Attentio ad Missam an sufficiat externa?
3. Penitentes publici ad januam Ecclesiæ audiunt Missam.
4. Ecclesia orat pro extraneis in ea; non in januis.
5. Aqua benedicta in ingressu Ecclesiæ ad se signandum mos est antiquissimus.
6. Diaboli officium impedire ingressum in Ecclesiam.
7. Introitus in Ecclesiam commendatus in Psalmis.
8. Filii privilegium stare ad mensam Patris.
9. Angeli intrus monumentum Christi: Satellites foras.
10. Prædestinationis signum ingredi Ecclesiam: reprobationis venire ad januam.
11. Nobiles non sunt publice redarguendi, sed suaviter, ac secreto.